

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 2: De aliis peccatis

### Caput 10: De accusatione (5)

Gregorius:

Sepe mali se non attendentes bonos lacerant, et vel bona,  
que non videndo sed audiendo didicerunt, proferunt,  
vel mala que ipsi agunt, aliis ingerunt,  
et ita factis se accusant et alios verbis iudicant,  
sicut Baldat simulator iustitiae contra ipocritas mira dicit.

**De corde.** Quasi tu habes simplicitatem spiritus in ore  
non in corde. illi contra.

Saepe mali se non attendentes bonos lacerant. et vel bona  
quae non videndo sed audiendo didicerunt proferunt.  
vel mala quae ipsi agunt aliis ingerunt.  
et ita factis se excusant verbis iudicant.  
Sic baldach simulator iustitiae. contra hypocritas mira dicit.  
et de his docere iustum praesumit quae conuenirent prauis.

*Glossa ordinaria, liber Iob, 8* (Biblia Latina cum glossa  
ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Saepe autem praui dum suaे uitium tortitudinis ignorant,  
audenter aliorum rectitudinem lacerant;  
cumque contra bonos sibi auctoritatem increpationis arripiunt,  
aut ea bona proferunt quae non uidendo, sed audiendo  
didicerunt; aut ea aliis mala mentientes ingerunt quae ipsi  
committunt. Sed cum ea bona proferunt quae seruare  
contemnunt, sciendum est quia plerumque ueritas sic per ora  
aduersariorum sonat ut eorum linguam mouens uitam feriat,  
quatenus culmen rectitudinis loquentes et ignorantes, ipsi sibi  
et uerbis iudices, et factis accusatores fiant. Vnde Baldad mira  
quidem contra hypocritas subdit, sed mucrone uerbi se impetit;  
quia simulator iustitiae nisi ex aliquantulo ipse esset, docere  
iustum nequaquam tanta temeritate praesumeret.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 8.41 (CCSL 143,  
M. Adriaen ed., p.432, ll.8-21).